SPECIMEN MEMORATU DIGNUM UTERI INVERSI ATQUE FELICITER EXSTIRPATI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS GYNAECOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIV. M. APRILIS A. MDCCCXLIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

AMANDUS IMMANUEL ENGELBRECHT
RATIBORIENSIS.

OPPONENTIBUS:

ARM. SCHAEFER, med. et chir. Dr.
AD. KNOBLOCH, med. et chir. Cand.
EDM. KRAUSE, juris utr. cand.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

Satius est anceps remedium experiri quam nullu

Celsus.

AVUNCULO CARISSIMO,

TUTORI OPTIME DE SE MERITO

BERNHARDO CECOLA

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

In clinico gynaecologico Vratislaviensi, quod sub auspiciis Ill. Betschler floret, cujus viri memoria ob summam, qua est usus erga me, benevolentiam nunquam ex animo meo evanescet, casum observavi uteri inversi atque feliciter exstirpati haud indignum, qui uberiore descriptione illustretur. Idem igitur dissertationis argumento aptus mihi est visus. Altera autem commentationis meae parte casum istum enarratum invenies, altera sententias virorum doctorum de exstirpatione uteri in universum afferam, quae etiam ad casum illum illustrandum convenient.

PARS PRIMA.

Dorothea Dameck, mercenarii uxor, aetate quadraginta sex annorum, fibra laxa et constitutione leucophlegmatica praedita, neque infans neque virgo morbo gravioris momenti laboraverat. Decem septem annos nata prima menstrua celebravit, indeque menses typo

quidem normali, protracti autem et justum modum excedentes apparuere, fluxerunt enim per septimanam. Foetum maturum mulier nunquam peperit, quoties enim a viro gravidata, toties tertio jam vel quarto mense post conceptionem abortum passa est; quod secundum ejus narrationem ter est factum. Ante tres annos et quod excurrit menses inordinati fiebant, per longius temporis spatium obstructi, tunc subito quovis tempore apparentes. Ex anni spatio magnam artuum lassitudinem et gravitatem mulier persentiebat, vexabatur interdum lumborum et inguinum doloribus, evadebat fluor albus, intrabant etiam nonnunquam metrorrhagiae copiosae, nulla externa cognita causa. Symptomatum horum impatiens foemina obstetricem in consilium vocavit. Haec explorationem internam instituens, massam spongiosam, ex uteri orificio prominentem atque jam sub digitorum tactu sanguinem fundentem, invenit: quam quum obstetrix imperita violentiori manu educeret, metrorrhagia exstitit copiosa, quae quidem post breve temporis spatium sponte substitit. Foemina peracta hac operatione levamen aliquod se percepisse dicit. Eandem operationem obstetrix intra sex menses quater instituit, post operationem semper orificium uteri clausum se sensisse praedicat.

XI die mensis Julii anni hujus saeculi XLII quum mulier lintea lavisset et multo labore magnum canistrum linteis impletum per aream portaret, subito gravissimis et conquassantibus doloribus in abdomine correpta, quos simul metrorrhagia copiosa est secuta, concidit lipothymica. Dein, refert foemina, se circumstantium hominum auxilio in cubiculum translatam, mox sui compotem factam persensisse sub doloribus pungentibus per regio-

nem hypogastricam, ac si corpus gravius a pelvi vaginam versus descenderet. His doloribus non cessantibus, brevi tempore moles carnea extra genitalium limites propellebatur, quae paullatim accrescens odorem putridum per totam fere domum sparsit.

Tum demum mulier, necessitate coacta, consilium et auxilium Policlinici gynaecologici per totam Vratislaviam notum exploravit; qua in nosocomium translata, haecce in conspectum venerunt symptomata:

Mulierem vidimus colore cachectico, jam in physiognomia imaginem gravioris morbi praebentem, tumorem invenimus extra pudenda pendulum, infantis minoris caput aequantem magnitudine. Ille tumor in parte sua inferiore excrescentiam fungosam coloris coeruleo-nigrescentis, venis quoque permultis superficiem permeantibus superbientem, ostendit, in qua partim formationes hydatidosae, partim loci jam exulcerati conspicui erant, qui tacti sanguinem mittebant. Parasita lata radice adhaerebat, ejusque finis perspicue linea rubra significatus erat, nec sub fortiori digitorum tactu ullum dolorem efficiebat foeminae; simulatque vero parasitae finem trensgressus sis et istam tumoris partem tetigeris, ex qua parasita originem duxerat, foemina statim hoc persentiebat, atque ista pars tam erat sensibilis, ut quamque speciem tactus, exempli gratia pressum aut frictionem, dignoscere posset foemina.

Fuit corpus rotundum, cylindriacum, quod in superficie structuram tunicarum mucosarum distincte praebuit, laeve tangendum et digito explorante plane circumscribendum; sine ullo impedimento quatuor pollices vaginam versus ascendere potuit digitus exploratorius us-

que ad eum locum, ubi tumor in utroque latere septus in abdominis parietes transiit. In toto corporis prolapsi ambitu orificium uteri oculis vel digito exploratorio observari potuit nullum. Cujus rei ut certior fierem, explorabam intra vaginam totam, num uterum ibidem cum suo orificio reperire possem, sed nihil mihi inquirenti obvenit, nisi in sinistro latere et quidem in eo loco, ubi vagina in tumorem cylindriacum transiit, plica callosa; in latere autem dextro nil simile inventum.

Supra symphysin ossium pubis spatium vacuum erat, et exploratione per anum instituta digitus exploratorius supra symphysin immediate per tegumenta abdominis tangi potuit. Alvum mulier sine molestia deposuit, mingendi tantum difficultas aderat. Cutis sicca erat et rigida, pulsus parvi, debiles, justis frequentiores. Tumor foetorem effundebat molestum, carcinomatosum; foetor tamen hoc casu, ut saepe fieri solet, per longum tempus vestibus et digitis non adhaesit.

DIAGNOSIS.

Diagnosin definitam exhibere, sicuti tu, lector benevole, ipse ex descriptione videbis, in casu tam complicato propositum sat difficile mihi visum est. Tres aderant rationes dijudicandi hujus casus.

RATIO PRIMA.

Erat procidentia vaginae, utero simul prolapso atque in vagina prolapsa contento.

Excrescentia fungosa portio vaginalis erat degenerata, tumor iste cylindriacus sensibilis vagina prolapsa. Orificium uteri forsitan hanc ob causam nullibi reperiri

potuit, quod, ut fieri solet, parasitae labiorum orificii uterini inter se concreverint per inflammationem chronicam, quae perpetua saepiusque quam necesse iterata obstetricis operatione suborta erat.

Haec rejicienda opinio. Late enim digitus exploratorius intrabat in vaginam, vagina locum non mutaverat, itaque non erat prolapsa, nisi quis credat vaginam hujus foeminae longitudine decem vel duodecim pollices aequasse.

RATIO SECUNDA.

Totus tumor erat sola portio vaginalis degenerata, excrescentia ista fungosa labia orificii uterini degenerata. Neque haec probanda sententia. Etenim non est probabile, portionem vaginalem tam brevi temporis spatio tantam magnitudinem assequi posse; quod quidem si esset factum, certe aegrota jam prius molestiis et doloribus vehementioribus fuisset cruciata. Praeterea obstetrici etiam imperitae id concedas, ut orificium uterinum tangere et dignoscere possit; prae ceteris autem, exploratione per intestinum rectum instituta, uterum invenisset digitus exploratorius, neque spatium vacuum supra symphysin ossium pubis apparuisset.

RATIO TERTIA.

Inversio uteri completa ab excrescentia fungosa profecta.

Excrescentia haec fungosa ex fundo uteri interni originem duxit lata radice adhaerens, et in dies magis magisque accrevit; postmodum autem sat spatii in uteri cavitate non inveniens, moleque sua carnea cervicem

uteri sensim foetus instar dilatans, exitum per uteri orificium sibi quaesivit; accessit tunc violenta obstetricis manus nimiusque nisus portandi oneris — quid mirum, hanc excrescentiam fungosam orificium uterinum perrupisse atque sic uterum invertendo per vaginam extra abdomen detraxisse? —

Quem admodum enim placenta uterina, post partum imprudenter extracta, propterea uterum invertit illumque prolabi facit, quum illa utero intus latissima radice adhaereat, sic mirum non est, quod excrescentia carnosa, quae fundum uteri totum radice sua occupavit, simili ratione uterum invertat et ad prolapsum urgeat.

Nec aliter in nostra aegrota, cujus historiam protulimus, factum esse judicamus.

Quam rationem si sequeris, omnia symptomata explicare potes, metrorrhagias istas atypicas sine ulla causa externa provocatas, signa pseudorganisationis in utero enatae; tum dolores istos contractionibus uteri ad partum non dissimiles, sub quibus uterus est inversus; denique magnam sensibilitatem tumoris cylindriaci.

Mira videtur illa debilis organismi reactio, quamvis haec inversio acute sit orta; mirum etiam, quod orificium uteri nullibi repertum sit, namque plica ista callosa, rudimentum orificii uterini, in explorationibus postea institutis, tumore jamjam magis prolapso, non amplius sensa est, ita ut nullum vestigium orificii uterini adesset. Reactio autem debilis e minore sensibilitate partium genitalium in mulieribus tum aetate jam provectioribus, um pastosis et leucophlegmaticis deducenda; ultimum denique et gravissimum argumentum orificii uterini deficientis nullius erit momenti, animo si perpenderis, foe-

minam nunquam foetum maturum peperisse, sed semper abortum prodidisse, qua de causa cicatrices in orificio uterino perexiguae fuerunt: itaque fieri potuit, ut labia orificii uterini penitus exstinguerentur et delerentur.

Intestina non simul cum utero prolapsa esse, conclusimus e defaecatione normali et sine ullis molestiis peracta.

Parasita structuram et texturam pseudorganisationis malignae, carcinomatosae obtulit, quae etiam confirmata opinio symptomatibus concomitantibus, cutem dico siccam, rigidissimam, colorem luridum cachecticum, maciem totius corporis, animum valde depressum.

PROGNOSIS.

Per se inversio uteri acuta prognosin, quod spectat ad vitam, valde dubiam, si non infaustam constituit, mors ingruit aut per inflammationem et gangraenam subsequentem, aut per haemorrhagias et cachexiam. Quam periculosa sit inversio completa, nisi paullo post repositio uteri institui possit, dicit Peu: »A l'égard de la perversion totale, si elle passe seulement deux heures, sans en faire la reduction, il est impossible d'en venir à bout; et si quelques femmes en échapent, c'est un hazard et un bon heur extraordinaire.« In inversione uteri chronica prognosis melior, quod attinet vitam, sanatio tamen semper dubia, raro enim repositio et retentio adhiberi potest. Etiam in nostra aegrota prognosis infausta. Inversio effecta erat excrescentia illa fungosa; necessarium inde causam ante omnia removere, quoniam causa non sublata morbus nullus potest sanari. Hoc casu, quum illa excrescentia e fundo uteri ipsius esset

enata, indicatio erat morbosam degenerationem radicitus evellendi, quod, quum sine laesione violenta totius uteri fieri non posset, prognosin reddidit infaustiorem. Aliud insuper accessit momentum; etiam inversionem ob laxitatem omnium telarum in nostra aegra sanatum iri sperare non potuimus, idque eo minus, quod si causa, degeneratio illa prospere esset remota, tamen etiam tota substantia uteri esset diruta.

CURA.

Omnes in eo consensimus, substantiam illam fungosam cum toto utero, e quo originem duxerat, quam celerrime et antequam vires aegrotae omnino prosternerentur, resecandam esse: imprimis quum ipsa aegra idem perpetuis efflagitaret precibus.

Hoc enim casu praestare putavimus illud Celsianum: »Satius est anceps remedium experiri quam nullum,« quum operatione non admissa aegrae certo moriendum esset, per illam vero valetudo restitui vitaque sustentari posset.

Nobis methodum, qua uti vellemus, ad peragendam hanc operationem in utramque partem animo perlustrantibus, Ill. Betschler proposuit deligationem uteri ita quidem instituendam, ut sensim ligatura contraheretur, donec aegra sensum tensionis cujusdam perciperet, sed dolores ei inde non excitarentur. De methodis diversis vide partem hujus opusculi secundam.

OPERATIO.

Die XIV. mensis Julii ligatura per apparatum, qui corona rosacea vocatur, altissime, ubi tumor cylindriacus

in vaginam transiit, applicata est eoque modo contracta, quo Ill. **Betschler**, ut jam supra monui, ordinavit. Ad vires aegrotae sustentandas diaeta blanda et nutriens administrabatur, ad potum lac porrigebatur. Externe super totum corpus prolapsum epithemata aquae Creosoti immersa ponebantur, praecipue ad odorem foetidum minuendum.

Die XV et XIV eadem cura.

Die XVII quum ligatura solito magis contraheretur, ob insequentes dolores spasmodicos, qui versus decursum nervorum sacralium serpserunt, hora praeterlapsa laxare debuimus ligaturam.

Postridie ligatura non est contracta.

Die XIX quum dolores omnino cessarent, ligatura iterum contracta. Prima vestigia putredinis in corpore prolapso in conspectum veniunt. Cum epithematibus aqua Creosoti tinctis jam injectiones e solutione Calcariae chlorinicae conjungebantur.

Die XX. quum ligaturam fortius contrahere vellemus, filum bombycinum sat crassum ruptum est; inde nova ligatura cum filo bombycino etiam crassiore tumori iterum applicata.

Die XXI—XXIII aegra jam majorem gradum contractionis sine molestiis ferre potuit. Pars uteri superior ad corruptionem putridam tetendit. Quum diarrhoea ex usu lactis perpetuo exstitisset, decoctum Oryzae ad potum ordinabatur.

A die XXIV—XXVIII bis quotidie ligatura contracta est, quo facto nullum detrimentum cepit aegrota. Putredo exinde quotidie adaucta est et quidem mumificatione (sphacelo) uterus correptus.

Die XXVIII propter magnam virium debilitatem aptum videbatur, medicamen analepticum aegrotae porrigere, praesertim quum decubitus in regione sacrali exsisteret.

Rp. Extr. Chinae regiae ʒjj.
Spirit. sulfur. aether. ʒβ.
Aquae Cinnamomi vinos. ℥v.
Syrup. simpl. ℥j.
M. D. S. Omni bihorio cochlear majus hujus mixturae sumendum.

Contra decubitum prae ceteris situs lateralis, topice unguentum ex acido tannico paratum in usum vocata. Praeterea aegrotae pluries per diem vinum porrigebatur.

Die XXIX, i. e. post applicationem ligaturae die XV, quum tumor jam externe putrefactus esset atque in loco ligato crassitudinem sex tantum linearum aequaret, quum ichoris putridi effectus jam in toto organismo conspicui fierent, jam decubitus subortus esset: tunc indicatio sat gravis adesse videbatur tumorem cultro abscindendi. Haemorrhagia enim non erat timenda vasis sanguiferis integris, ex iis autem putredine corruptis sine dubio etiam incisione non instituta haemorrhagia exstitisset. Levi opera tumor a corpore aegrotae per parvam incisionem solutus est; haemorrhagia exstitit nulla, nullumque peracta hac operatione apparuit symptoma, quod vitam aegrotae in periculum duceret. Tribus vero horis post operationem accidit haemorrhagia exigua quidem (sanguinis copia non plus quam unciae dimidiae quantitatem aequavit), tamen sat copiosa videbatur, quae aegrotam viribus destitutam ad mortem adduceret; namque symptomata apparuere periculosissima,

necem minantia: facies pallida, extremitates frigidae, sudores viscidi, arteriarum pulsus vix tangendus. Omnis ferme spes aegram servandi evanuit. Statim medicamina analeptica in usum vocata, atque vagina plumaceolis Tinctura ferri muriatici tinctis expleta, quo facto haemorrhagiam sistere nobis contigit. — Quae symptomata periculosissima non tam ex effectu incisionis et haemorrhagiae exiguae inde obortae, sed potius praecipue ex aperta abdominis cavitate, aëreque atmosphaerico admisso deducenda nobis videntur.

Sensim arteriarum ictus iterum adauctus est, facies vero et extremitates adhuc frigidae manserunt; aegra per noctem quiete et doloribus vacua dormivit, maneque nos eam visitantes alloquens tam hilari erat animo, ut exclamaret: »Nonne pudet vos me morituram putavisse?« Postquam horae quadraginta octo abierunt, reliqua adhuc symptomata periculosa evanuerunt.

Mulier diaeta nutriente et roborante, medicaminibus tonicis una cum nervinis revaluit. Sanatio quamvis lente, ut e morbi gravitate elucet, ita tamen processit, ut tribus hebdomadibus post uteri exstirpationem praeterlapsis aegra jam extra lectum per aliquod temporis spatium versari posset. Decubitus propter magnam virium infirmitatem pertinaciter durans, medicaminibus gravioribus debellandus erat, quapropter pulvis e cortice Chinae, carbone Tiliae, e myrrha et camphora compositus, loco putrido inspersus felici gaudebat eventu. Post quatuor septimanas aegra jam per cubiculum ambulare potuit, et oedema leve in pedibus si excipere velis, optima usa est valetudine; etiam oedema brevi tempore evanuit.

Mulier medio mense Septembri omni ex parte sanata nosocomium hilari animo, quamvis utero privata, reliquit.

Explorationibus multifarie per vaginam, anum et ope catheteris factis, itemque etiam exploratione simul per anum ac per vaginam digitis peracta, nullibi vestigia uteri detegi potuerunt. Denique notandum videtur, exploratione per vaginam fluctuationem quandam intestinorum tactam esse, et mulierem, quoties faeces deponeret, toties pressum quendam in laquear vaginae persensisse. Quae observatio opinionem omnino confirmat re vera uterum ipsum degeneratum esse exstirpatum. —

Sectio pathologica imperfecta mansit ob degenerationem partium putridam.

Ceterum qui adhuc de dictis ambigit, ei dubium fortasse eximet de hac historia uterus ille adhuc asservatus.

Pars Altera.

Temporibus recentioribus exstirpatio uteri, quamvis ab antiquis medicis saepissime instituta, raro tantum in usum vocata est. Jam C. Bauhinus(1) in praefatione ad Rousseti librum de sectione caesarea exempla novem

---

(1) Rousset, de exsectione foetus e matre viva. Francof. 1601.

decim uteri exstirpati nobis refert; etiam Schenck v. Grafenberg (1) multos tradidit casus. Sunt nostris temporibus, qui omnes hos casus uteri feliciter exstirpati negent. Infitiandum re vera non est viros, qui hanc operationem commendarint, diagnosin nonnunquam falsam instituisse, locoque uteri vaginam prolapsam, polypos, sarcomata aliasque excrescentias a partibus genitalibus profectas resecuisse; nam traditum etiam nobis est, nonnullis in casibus functionem menstruationis post operationem revertisse, mulieres etiam iterum concepisse. Vide historias ab Avenario (2) et Benivenio (3) consignatas, quae sine dubio demonstrant uterum ipsum non fuisse exstirpatum. Verumtamen temere illi judicarunt, qui his erroribus, fortasse summa difficultate morborum uteri et vaginae, praesertim dislocationum dignoscendarum excusandis, commoti omnino felicem exstirpationem uteri vere perfectam esse infitiantur. Etiam inde forsitan dubitationes deducendae, quod complures casus tam breviter sunt relati, ut, nisi fiduciam auctoris habeamus, ex enarratione rei ipsius parum concludere nobis liceat. Aliis autem in casibus nullo pacto dubium, quin uterus ipse exstirpatus sit; velut Paraeus (4): »Post operationem, ait, omnia sibi naturae suae et stato cursui sunt reddita, totumque trimestre sana et egregie incolumis mulier supervixit, donec suborta repente pleuritide interiit. Dissecta a me et sedulo singula exquirenti nusquam

---

(1) Observationes medic. rariores. Lib. IV. Francof. 1600.
(2) l. c. Lib. II., cap. 2.
(3) De abditis morborum causis. Cap. 11.
(4) Lib. de hominis generatione. Cap. 41.

comparuit uterus, sed ejus loco callosum quoddam corpus, quod natura, quae nunquam in nobis otiatur, jacturam ejus partis quasi reparatura, sustinuerat.« Simili ratione demonstravit Slevogtius in illo casu, quem invenies apud Henricum de Sanden (1) enarratum. Ceterum utrumque accidit: etenim constat medicos nonnunquam polypos aliosque tumores excisos duxisse, utero ipso exstirpato. Non plurimos antiquitatis casus uteri feliciter exstirpati fuisse falsos, etiam ex recentioris temporis observationibus nonnullis satis elucet, ubi uterum re vera feliciter remotum negandum non est.

Quotiescunque exstirpatio uteri ab antiquis medicis est instituta, semper inversus vel prolapsus fuit uterus; etsi uterum exstirpatum, quem dicunt veteres medici gangraenosum, putridum, corruptum, probabile est interdum scirrhosum, carcinomatosum fuisse, nusquam tamen diserte de utero scirrhoso exstirpando actum.

Inversionem uteri, quam medici antiqui in gravissimis habuerunt indicationibus ad uterum resecandum, nostrates omnino fere indicationem repudiantes, magis saepiusque hanc operationem in degeneratione quadam carcinomatosa in usum vocarunt; non jure quidem, quum exstirpatio uteri inversi nonnunquam solum sit ad vitam servandam auxilium. Mirum videtur, quod in nullo prope compendio, de morbis mulierum conscripto, extremum auxilium in utero inverso in ejus exstirpatione instituenda positum est, cujus operationis etiamsi mentio

---

(1) H. de Sanden, Observatio de utero prolapso et inverso. Regiom. et Lipsiae, 1722.

facta, tamen non gravissimum medelae remedium commendatur.

Non dico, quemque uterum inversum, qui reponi non possit, resecandum esse, imo, quam diu symptomata periculosa non adsint, decursui morbi non esse obsistendum; sed simul atque symptomata periculosa, haemorrhagiae copiosae, degeneratio totum uterum corripiens seu gangraena urgeant, casuum istorum, qui de utero prospere exstirpato traditi sint, auctoritatem hujus organi exstirpationem nobis permittere censeo.

Casus isti, quibus uterus prolapsus gangraenosus a vivo organismo per vim naturae medicatricem remotus est, verisimiliter Astrucium (1) ad opinionem duxerunt: »Si uterus prolapsus gangraena corripiatur, nec ea sisti possit, sed in sphacelum abeat, totus uterus abscindendus est.« Invenies casus hujusmodi apud Avenzoar (2), itemque Rousset (3) narrat, prolapsum uterum gangraena correptum ancillae aetate jam provectae sub mingendo sponte decidisse, aegram inde nullum detrimentum cepisse, ejusque valetudinem per tres etiam annos non turbatam fuisse. Plater (4) tradit, chirurgum quendam mulieris, utero prolapso gangraenoso laborantis, uterum manu apprehensum quasi gluten sine ulla vi adhibita e vagina detraxisse; mulierem penitus sanatam plures annos adhuc vixisse, et quod mirum, menses exinde semper justo tempore per anum effluxisse.

---

(1) l. c. pag. 423.
(2) Lib. II., Tract. V., cap. 4.
(3) l. c. cap. 5.
(4) Observationes medic. Lib. III., pag. 718. Basileae 1614.

Secundum Meissner (1) huic Astrucii opinioni adversantem, medicanima interna, apparatus medicaminum cardiacorum et antiputridorum, imprimis cortex Chinae, si non amplius prosunt in utero gangraenoso, si prognosis conclamata, etiam uteri exstirpatio nullum auxilium fert. Contra hanc sententiam monendum, quamvis functiones genitales mulieris arctissime cohaereant cum aliis totius organismi functionibus, tamen casus nonnullos obvios fuisse, ubi uterum gangraenosum prolapsum, et inde quasi remotum a conjunctione cum organismo, exstirpare contigerit, vita servata.

Uteri inversi vel prolapsi laeto cum exitu exstirpati complures casus dignos, qui commemorentur, nunc breviter afferam.

Wrisberg historiam illam notam refert puerperae, cui uterus per inauditum conamen obstetricis, quum manu violenta placentam removere vellet, inversus et per vaginam detractus est. Obstetrix uterum inversum excrescentiam carneam esse rata, cultro desecuit. Mulier convaluit, quamvis haemorrhagia exsisteret ingens, quae ne medicaminibus quidem necessariis suppressa est (2).

Bernhard historiam similem refert. Obstestrices complures quum frustra studerent, puerperae tricenariae placentam solvere, funiculum umbilicalem decerpserunt. Uterus dein e pudendis procidit, quem obstetrices imperitae placentam ducentes, quamvis magnam vim adhibe-

---

(1) Der Vorfall der Gebärmutter und Mutterscheide. Leipzig 1821.

(2) Commentatio de uteri post partum naturalem resectione non lethali. Gotting. 1787.

rent, tamen loco suo removere non valuerunt; qua de causa concilium ceperunt totum uterum, quam proxime ad vaginam fieri posset, cultro abscindendi, quod statim audacissime peractum est. Haemorrhagiam inde exortam suppresserunt ope glaciei in cavum vaginae immissae. Mulier, mirabile dictu, restituta sine ullo medicamine, observatione tantum accuratissima praeceptorum diaeteticorum (1).

Figuet casum memoriae prodidit, ubi chirurgus imperitus fundum uteri inversi, caput infantis praevium existimans, unco evellit. Duobus annis post F. hanc foeminam vidit mirum in modum omnino sanam et incontinentia urinae tantum laborantem (2).

Vieussens utero inverso, qui propter magnitudinem singularem et sensibilitatem nimiam reponi non potuit, ligaturam applicavit quam altissime, dein uterum sub ligatura abscidit. Mulier post operationem annos adhuc quindecim vixit, denique enteritidi succubuit. Sectio instituta demonstravit, re vera uterum exigua parte cervicis excepta, remotum fuisse vulnusque cicatrice obductum (3).

Baxter uteri ex quinque septimanis inversi, quem reducere non potuit, exstirpationem perfecit. Ligaturam duplicem utero apposuit, utrumque dimidium ligans modiceque contrahens; tunc vaginam sub ligatura incidit, quo facto totum uterum removit simul cum parte vaginae, pollicem unum et dimidium aequante. Sex hebdo-

---

(1) E. v. Siebold's Lucina. I. Bd. 3, St. pag. 401.
(2) Journal de médec. Tom. XLI., pag. 40.
(3) Dictionnaire des sciences médicales, Tom. XXXI, p. 219.

madibus post operationem praeterlapsis aegrota omni ex parte sanata. (1)

Alex. Hunter uterum inversum, quem reponere non valuit, postquam ichor putridus e pudendis effluxit et febris hectica accessit, rescindere fuit coactus. Ligatura solida circa collum uteri apposita, sex horis post uterum sub ligatura desecuit. Molestiae hinc exortae non magni erant momenti, symptomata febris hecticae paullatim evanuerunt, quatuordecim diebus post aegra lectum reliquit, quatuor septimanis post in integrum restituta. (2)

I. Clarke utero post partum naturalem inverso, uterum quidem excrescentiam polyposam ducens, ligaturam applicavit, quam vero aegra ob dolores vehementes spasmodicos non perpessa est. Postea quum uterus penitus procideret, Clarke morbum verum cognoscens, Hunteri exemplo commotus, denuo ligatura utero quam altissime applicata, uterum sub ligatura resecuit. Aegrota valetudinem recuperavit. (3)

Windsor exstirpationem uteri instituit in muliere XXXV annorum, ubi post repositionem feliciter perfectam inversio recidit, et uterus nullo modo iterum potuit reduci. Duae ligaturae collo uteri appositae, quibus die duodecimo fere plane dissectum, ita ut uterus per tegumenta peritonaei sola contineretur. Stylus dein

---

(1) Annales de litérature médicale étrangére, à Gand. Tom. XV, p. 576.

(2) Hufeland's Journal der ausländischen medicin. Literatur. März 1802.

(3) The Edinburgh medical and surgical Journal. Vol. II. 1806. In den Sammlungen auserlesener Abhandlungen für pract. Aerzte. Bd. XXIV. St. 1. pag. 59.

tumoris dissectus est, collum uteri remansit. Operatione peracta dolores vehementes in abdomine, vomitus acciderunt, qui autem remoti sunt. Duobus mensibus post aegrota sanata. (1)

Lasserre utero ex duobus annis inverso, quia haemorrhagias provocabat copiosas et reponi non poterat, ligaturam circa collum applicavit, quam contrahebat vel laxabat secundum dolores et signa inflammatoria plus minusve illinc consequentia. Octavo die post applicationem ligaturae cultrum adhibuit. Aegrota in integrum restituta. (2)

I. Rheineck mulieris, quae nunquam peperit, inversionem uteri completam descripsit, quae per fungum haematodem ex fundo uteri natum effecta erat. R. totum uterum deligavit, qui septimo die sejunctus est. Vita mulieris conservata. — Casus hicce illi a me exposito simillimus. (3)

Newham inversionem uteri chronicam sola ligatura removit fausto cum exitu. (4)

Faivre uterum, quem reponere non licebat, gangraena correptum deligavit. Aegrota ligatura apposita vomitu, convulsionibus levibus, diarrhoea laborabat, donec uterus die XXVII sponte decideret. Tum sensim convaluit femina. (5)

---

(1) A. Cooper, Medico-chirurgical transactions. Vol. X p. 358.

(2) v. Froriep's Notizen Bd. 47. Nr. 8.

(3) E. v. Siebold's Journal für Geburtshülfe. V. Band. 3. St. pag. 628.

(4) An essay on the symptoms, causes and treatment of inversio of uterus; with an history of the successfull exstirpation of that organ during the chronic state of the disease. London 1818.

(5) Dictionnaire des sciences médic. Tom. XXXI. p. 221.

Johnson duobus in casibus, quibus uterus inversus haemorrhagias copiosas aegrotaeque vires exhaurientes efficiebat, utero ligaturam applicavit, quam sensim fortius contraxit. Casu altero uterus jam die XII, altero post tres hebdomades demum decidit. Utraque aegra in integrum restituta.(1)

Shecut uterum inversum volumine adauctum, quum gangraena corriperetur, per ligaturam exstirpavit. Vita aegrotae conservata. Corpus exstirpatum longitudine pollices undecim aequabat, pondere libras quinque.(2)

Weber uterum inversum gangraenescentem deligavit. Exitus operationis erat secundus.(3)

Marshal exstirpationem uteri prolapsi scirrhosi per ligaturam perfecit. Quum vero ligatura die altero fortius contracta dolores vehementes in abdomine, febrem, convulsiones efficeret, laxata est atque die tertio uterus eo loco, quo ligatura applicata, resectus. Mulier decem etiam annos post operationem vixit.(4)

Recamier in muliere sexaginta annorum uterum prolapsum scirrhosum laeto cum successu per ligaturam exstirpavit, super uterum prolapsum filum duplex pertrahens ejusque fines in latere connectens.(5)

Hosack et Wolff uterum prolapsum scirrhosum

---

(1) Ibid. pag. 518.

(2) The American medical and philosophical Register. New-York. Vol. IV.

(3) Fr. Hesselbach's Beiträge zur Natur und Heilkunde. Bd. I. Würzburg 1825.

(4) Hartenkeil's Medicinisch-chirurgische Zeitung. 1794. Band. I. pag. 136.

(5) Révue médicale, Decemb. 1825.

per sectionem exstirparunt. Operatio exitum praebuit optatum.(1)

Fodéré casum refert, ubi in muliere quinquaginta annorum uterum jam ex longo tempore prolapsum et funditus degeneratum ligavit, et duabus horis post cum ovario dextro tubaque adnexa resecuit. Operatio felicem habuit eventum.(2)

Langenbeck exstirpationem uteri prolapsi carcinomatosi sic instituit, ut vaginam ab conjunctione cum utero separaret, sed non dissecaret. Tunc peritonaeum ab uteri substantia sejunxit, quo facto uterum, paullatim usque ad marginem fundi superiorem e peritonaei adhaesione solutum, desecuit. Fuit haec quasi decorticatio uteri (venia sit verbo) ex peritonaei adhaesione, ita ut peritonaeum vagina conjunctum sacculum vacuum formaret. Haemorrhagia vehementissima ligatura arteriarum suppressa. Operatione peracta aegra valde debilis fuit, mox tamen vires recuperavit. Sanatio celeriter evenit.(3)

Non multi exstant casus, quibus exstirpatio uteri inversi vel prolapsi degenerati letalem habuit exitum; ac plures etiam, si commemorati essent, operationem hancce refutandam esse non demonstrarent. Si enim exstirpatio uteri tam violenta ratione peracta, ut mortis subito ingruentis metus inde exsistat, fauste processit, (vide

---

(1) Ehrhart's medicin. chirurg. Zeitung 1818. Bd. I. pag. 334. — v. Graefe's und v. Walther's Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. Bd. 8. pag. 478.

(2) Dictionnaire des sciences médic. Tom. XXI. Juin 1825.

(3) Neue Bibliothek für Chirurgie und Ophthalmologie von Langenbeck. Bd. 1. St. 3. pag. 461.

casus istos a Wrisberg, Bernhard, Figuet relatos), num quis est, cujus animus nimia adhuc super hac operatione anxietate deprimatur? Aliud praeterea momentum invitat fere ad prolapsum uterum degeneratum removendum, nempe quum uterus, ex longo tempore prolapsus vel inversus, e commercio suo segregatus sit, quum ejus sensibilitas perpetua frictione, aëre, urina supra uterum desiliente diminuta, quum vasa obliterata et tota ferme uteri organisatio propria inde commutata sit: non difficilius quam aliud corpus ab organismo avellitur.

Tres uterum inversum vel prolapsum exstirpandi methodi usurpatae sunt:

1) Sectio sola,

2) Sectio cum ligatura conjuncta,

3) Ligatura sola.

Sectio sola adhibita, quod usus docuit, plus periculi fert et ob haemorrhagiam copiosam nonnunquam difficile compescendam, et ob proclivitatem partem vicinas laedendi. — Sectio cum ligatura conjuncta primo et frequentissime in usum vocabatur. Haec methodus plerumque eventum obtulit felicissimum. Monendum tantum in hacce operationis methodo videtur mihi, sectionem tum demum instituendam esse, quando concludere liceat, ligatura antea adplicata vasa sanguifera jam esse obliterata.

Ligatura seu torsio sola subito instituta fere semper ob magnam uteri, organi permultis nervis instructi, sensibilitatem convulsiones vehementissimas, mortemque ob nimium nervorum insultum provocabit. De hac methodo igitur sermo non est. Ligatura vero sola lente sensimque contracta via tuta et minus periculosa, sanguinis nimirum effusio non est timenda. Tamen non-

nulli medici propter taedium foeminarum, ob difficultatem ad uterum per vaginam totam perveniendi et ligaturam adplicandi, hancce methodum non laudant.

Certo constat non omnes casus ad eandem normam posse dirigi, acumen ingenii medici quoque in casu singulari dijudicabit, quaenam operationis ratio sit praeferenda.

- - - -

Transeam nunc ad exstirpationem uteri in situ normali, qua de operatione nostris temporibus multum a viris doctis est disputatum. Eventus hujus operationis multo pejor, si non pessimus. Indicatio ad peragendam hanc operationem et difficilem et periculosissimam fuit uterus scirrhosus, carcinomatosus, ubi morbus uterum solum aut totum aut partem tantum occupavit, ubi signa dyscrasiae carcinomatosae vel partium vicinarum jam morbo affectarum defuerunt. Wrisberg primus exstirpationem uteri carcinomatosi proposuit l. c. pag. 22. »Quum jam evictum sit, uterum amplissimis vasis instructum sine morte infallibiliter insequente resecari potuisse, nonne sub debitis cautelis ejusdem exstirpationem suscipere possimus extra graviditatem in casu uteri scirrhosi aut jam in carcinoma proclivis, ut truculentissimum morbi genus arceamus cancrum apertum?« Distinguendae sunt exstirpatio uteri partialis, i. e. excisio colli uteri, et exstirpatio uteri totalis.

I. EXCISIO COLLI UTERI.

B. Osiander primus excisionem colli uteri instituit, quod justis de causis exstirpationem uteri totalem periculosissimam duxit. Operatio nonnullis in casibus

prosperum exhibuit eventum, in pluribus letalem, in plurimis scirrhus post breve temporis spatium iterum rediit. Quod Osiander contendit, haemorrhagias post hanc operationem non periculosas et faciles ad supprimendum esse, verum non est: Rust enim et Fodéré, qui secundum methodum ab Osiandro commendatam excisionem colli uteri peregerunt, sanguinis effusionem tantam invenerunt, ut aegrotae subinde morti succumberent.

Mox vero exstiterunt viri, qui solam excisionem colli uteri refutandam censerent, praesertim C. Wenzel (1), hanc operationem propterea non sufficientem ratus, quod, ut ait, degeneratio scirrhosa partis uterinae tantum topica re vera non exsisteret, sed etiam vasa et nervi vicini hujus organi simul affecti essent, ita ut etiam parte scirrhosa exstirpata, tamen ob reliquarum partium uterinarum conditionem vitiosam sanatio perfecta non posset sperari. Omnino negari non potest, difficillime saepeque nulla ratione diagnosin accuratam de ambitu et incremento carcinomatis uteri esse faciendam. Uteri enim conditionem exploratio obstetricia sola detegere potest, quae, etiamsi ope speculi vaginae et uteri maxima cum diligentia instituta, tamen permultis in casibus uteri scirrhosi imperfecta manebit. Quae argumenta gravia omnino in indicatione ad resectionem colli uteri ponenda quamvis accurate et diligenter respicienda sint, tamen omni ex parte operationem vetare nequeunt: namque interdum exstirpationem partialem organi scirrhosi

(1) Ueber die Krankheiten des Uterus, XXV. Abschnitt. Mainz 1816.

quum in aliis corporis organis, tum etiam in utero felici cum exitu perfectam esse constat. Quare indicatio ad peragendam hanc operationem sine dubio sic coërcenda, ut in illo tantum casu, quo scirrhus e collo uteri proficiscatur, quo partes sanae a degeneratis distincte segregatae, excisio colli uteri sit admittenda; eo magis, quod, quum cancer colli uteri interdum sequela sit noxarum topicarum perpetuarum, sperandum est fore, ut pars degenerata radicitus exstirpetur.

II. EXSTIRPATIO UTERI TOTALIS.

C. Wenzel, Zang uteri prolapsi operatione prospere peracta inducti, quum propter angustias vaginae partiumque vicinarum instrumenta ad operationem necessaria in uteri situ normali induci gerique non posse putarent (1), proposuerunt prolapsum uteri artificiali ratione efficiendum. Qui viri ipsi operationem non perfecerunt. Struve (2) per complures hebdomades balneis et injectionibus institutis, quoque die sub rotundis motibus per forcipem effectis uterum quam longissime protrahendi consilium dat, dein portionem vaginalem incisione circulari dissecandi, uterum volsella longius protractum omnino a ligamentis dissolvendi. Aliam operationis methodum artificiali prolapsu effecto proponunt Paletta, Holscher, alii. Contra hancce rationem, quae primo adspectu non refellenda videtur, Sauter(3) monet: uterus scirrhosus saepissime tam arcte cum partibus vicinis concrescit, praecipue cum vesica urinaria et intestino recto, ut violentissime tantum possit divelli, prolapsus igitur artificialis exsistat difficilior quam operatio ipsa. Praeterea dolores vehementissimi inde exorientes jam ante operationem vires aegrotae valde extenuarent.

Ita factum est, ut viri docti, difficultatem summam hujus methodi bene perspicientes, operationem in situ

---

(1) Quam ob causam a Langenbeck, Roux, Evans, v. Siebold ante exstirpationem peritonaeum, a Lizars etiam sphincter ani, paries vaginae posterior et recti anterior fissi sunt.

(2) In Hufeland's Journal 1803. Bd. XVI., Tt. 3, p. 123.

(3) Sauter, die gänzliche Exstirpation der carcinomatösen Gebärmutter ohne selbst entstandnen od. künstlich bewirkten Vorfall. Constanz 1822.

uteri normali perficere conaretur. Quod duplici quidem ratione est institutum:

1) A vagina. Primum laquear vaginae dissolvebatur ab utero, qui tum a peritonaeo et organis adnexis sejunctus est. Qua methodo

Sauter cum felici, ut visum, successu operationem perfecit, aegrota enim inter octo hebdomades excepta fistula vesico-vaginali bona gavisa est valetudine; mox tamen phthisi est defuncta. E. v. Siebold bis admisit, aegrotis jam die secundo post operationem mortuis. Non felicior Langenbeck, Roux, Recamier. Blundell quater perfecit, in primo casu mors post triginta novem horas accidit, secundo post octodecim dies sanatio quidem, anno autem transacto aegra scirrho vaginae exstincta; tertio casu mors post novem dies, quarto paullo post operationem ingruit.

2) Per laparotomiam secundum Gutberlet. Cavitate abdominali per incisuram in linea alba aperta, uterus ab organis adnexis sejunctus est.

Langenbeck et Delpech exsequuti sunt hanc operandi methodum, uterque eventu infaustissimo, aegrotis mox post operationem mortuis.

Quam periculosa igitur exstirpatio uteri in situ normali sit, jamjam satis apparet. Laesione enim peritonaei violenta peritonitis acutissima oritur, quae facillime in gangraenam exire potest; incisio cavitatis abdominalis prolapsui totius tractus intestinorum favet: laesio magnorum vasorum sanguiferorum haemorrhagias efficit letales; etiam intestini recti et vesicae urinariae violentae laesiones vix possunt vitari. — Idcirco indicationes haece forsitan ad operationem uteri exstirpandi mihi ponendae esse videntur:

a) ad excisionem colli uteri

Scirrhus colli uteri accurate circumscriptus et distincte a partibus sanis septus.

b) ad exstirpationem uteri totalem

1) uterus inversus, cujus repositio peragi non potest, unde symptomata accidunt mortem minantia.

2) Uterus scirrhosus prolapsus vel inversus.

VITA.

Natus sum Amandus Immanuel Engelbrecht, fidei catholicae addictus, anno h. s. vicesimo Calendis Septembribus Ratiboriae, Silesiae superioris oppido, patre Joanne, quem mihi jam a decimo aetatis anno praematura morte ereptum lugeo, matre Francisca e gente Schipko, quam ut deus propitius perdiu incolumem mihi servare velit, preces mitto quotidie. Primis literarum elementis Ratiboriae instructus, puer X. annorum gymnasium hujus urbis adii, et per novem annos praeceptorum spectatissimorum Haenisch adhuc directoris, Dr. Mueller, Pinzger nunc beati, Peschke et Kelch egregia institutione et benevolentia gavisus sum. Anno h. s. XXXIX. examine maturitatis superato almam universitatem literariam Viadrinam adii, ibique ab Ill. Otto penes quem tunc fasces academici erant, civium academicorum numero adscriptus, apud Ill. Purkinje, t. t. gratiosi medicorum ordinis decanum, nomen rite professus sum.

Abhinc per septem semestria in illa musarum sede hisce interfui scholis:

Ill. Barkow de anatome comparata; Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice, de instrumentis chirurgicis et de fasciis rite applicandis; Ill. Betschler de gynaecologia universali; Exp. Burchard de operationibus obstetriciis in phantomate instituendis; Ill. Elvenich de logice; Ill. Fischer de chemia generali et pharmaceutica; Ill. de Glocker de mineralogia; Ill. Gravenhorst de zoologia; Ill. Henschel de encyclopaedia et hodegetice medica, de pathologia generali; Ill. Klose de politia medica; Ill. Nees ab Esenbeck de botanice generali et speciali; Exp. Neumann de Schoenleinii systemate; Ill. Otto de anatome corporis humani universa, de osteologia et syndesmologia, de historia foetus et de sectionibus forensibus, nec non de anatome pathologica; Ill. Pohl de physice experimentali; Ill. Purkinje de hominis physiologia, et de psychologia physiologica; Ill. Remer sen. de therapia speciali et de methodo formulas medicas conscribendi; Cel. Remer jun. de morbis syphiliticis; Ill.

Rohowsky de psychologia; Exp. Sachs de semiotice; Ill. Wendt de materia medica, de morbis ex laesa nutritione oriundis, de exanthematibus, de morbis psychicis. In theatro anatomico Ill. Otto, in clinicis chirurgicis, ophthalmiatricis, medicis, gynaecologicis Ill. Benedict, Betschler, Remer sen. duces mihi fuerunt benignissimi.

Denique non possum, quin palam gratias agam Doctori Exper. Julio Nega, qui in policlinice gynaecologica ad aegrotarum et parturientium lectos lubenter et amicissime me semper consilio suo impertiit.

Hieme anni MDCCCXLII. Berolinum me contuli, ubi ab Ill. de Raumer, nunc Rectore magnifico, inter cives almae Fridericae Guilelmae receptus, apud Ill. Mueller, decanum gratiosi medicorum ordinis maxime spectabilem, nomen dedi. Per semestre hibernum interfui scholis Ill. Hecker de rei medicae historia, Ill. Wagner de medicina forensi; praeterea in nosocomio caritatis scholas clinicas Ill. Juengken et Cel. Wolff frequentavi.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, quum, tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso rite superatis, jam in eo sim, ut summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur, maximas quas possum gratias nunc palam ago semperque habebo.

THESES.

1. Nego esse Chlorosin sic dictam floridam.
2. Hysteria et Hypochondria non idem morbus.
3. In Eclampsia parturientium venaesectio saepius iterata remedium summum.
4. Sunt conditiones quaedam, quibus, licet infantis mortui signa non exstent, excerebratio tamen conceditur et jubetur.